



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jus Canonicum Practice Explicatum

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gregorii Papæ IX. Titulos,
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatæ

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

Pichler, Vitus

Ingolstadii, 1728

Decisio LXXVI. De Sacerdote ad Matrimonium aspirante.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)

tur Apostolus, & deplorant Ascetæ: quid ex continua cohabitatione sperandum boni? Ad IV. Illa necessitas œconomica sæpe est merus prætextus: deinde licet daretur, ei tamen præferenda est longè necessitas animæ in periculo positæ ex cohabitatione cum muliere suspecta, uti & charitas obligans ad tollendum scandalum. Ad V. Imprimis textus in lege cit. hoc non dicit: dein conveniens quidem esse potest, ut mater (vel etiam foror) habitet in domo

fili (vel fratris) Laici: at conveniens non est, ut simul cum Clerico habitent in eadem domo tales feminae, saltem ubi incipiunt esse suspectæ, vel periculosa; tunc enim inconvenientissimum, illicitum, scandalosum est. Ad VI. Licet regulariter inter personas tam arctè conjunctas nihil secretis præsumatur, nec suspicio illiciti commercii esse debeat: per accidens tamen & quandoque etiam ista personæ possunt habere periculum, & reddi suspectæ.



TITULUS III.

De Clericis Conjugatis.

DECISIO LXXVI.

De Sacerdote ad Matrimonium aspirante.

SPECIES FACTI.

PHilander egregiè peritus artis Musicae, & jam sexenniò Sacerdos, multùm agitated stimulus carnis, ac amore alterius sexûs nimium irretitus, aded ut sapius à figendis eidem impuris osculis Deum & conscientiam graviter læserit, tandem cogitare cœpit de mutando statu, & ineundo matrimonio, aliter se vitare graviores lapsus carnales non posse ratus. Rem quidem & propositum suum hucusque clam habuit, & quia apostasiam

tam à fide quàm à statu Clericali utpote remedium profus abominabile, arripere non placuit, per viam ris propositum suum exequi illius probare conando, vel se non adhiberi votò castitatis, sacris Ordinibus annexo, vel, si adstringeretur, castitatem secum dispensandi sufficienter adesse. Antequam verò rem aggrederetur, suumque sensum in re externo proponeret, consilium & sententiam privatam poposcit à Thoma

theo, quem in Theologia, & SS. Canonibus pro insigniter versato & docto Clerico habuit. Huic igitur totam suam conscientiam sub arctissimo sigillo fideliter exposuit, & postquam diu rem hanc apud se versaverat, multusque fuerat in lustrandis Auctoribus, consilio insuper adhibito ejusdem Causidici, qui per aliquot annos in Lutherana Universitate Juribus operam dedit, atque ideo peritulis, Sacrisque Canonibus, & Religionis adversantibus principiis im-

butus Philandrum in sua intentione non parum adjuvit suggerendo argumenta ex heterodoxis scholis incaute hausta. Quapropter hanc ille quaestionem proposuit Timotheo: an non licitum sibi sit in his circumstantiis contrahere matrimonium, saltem per obtentam dispensationem? Timotheus verò subjunxit quaestionem alteram: an licitum Catholicis sit frequentare Universitates Heterodoxorum, praesertim ad Jurisprudentiam addiscendam?

QUAESTIO I.

An Philandro licitum sit in his circumstantiis contrahere Matrimonium, vel spes supersit obtinendi ad id dispensationem?

Philander Causidici clam consulti partim, & partim ex sua penu deprompta Philander haec argumenta. I. Aiebat, juxta omnes votum, ut tenent, debet esse de re moraliter possibile; quia obligat instar legis humanae, cum sit lex humana à vovente sibi imposta: sed votum Philandri (sive jam tempore emissi voti, sive supervenientibus primùm postea tantis tentationibus carnis, ut frequenter labatur in peccata carnis, pulsati) est de re moraliter impossibile; nam teste Gobat *traç. ii. Theol. Exper. n. 27.* illud censetur moraliter impossibile, quod observari aut fieri nequit viribus naturalibus nisi difficillimè, vel cum supernaturalibus ordinariis, nisi nempe Deus det auxilia prorsus extraordinaria & singularia, quæ tamen

nec Philander sperare potest, nec Deus dare tenetur. II. Ad valorem & obligationem voti requiritur, ut sit de re meliori, quàm sit oppositum; definitur enim communiter votum, & dicitur esse *deliberata promissio Deo facta de re meliori*: atqui respectu Philandri, aded agitati stimulis carnis, votum castitatis non est de re meliori, sed potius ipsi melius est ad salutem suam Deique gloriam Matrimonium, quo evitantur tot peccata contra castitatem, & tam manifesta pericula salutis aeternæ, in quæ incidit, & hucusque incidere consuevit extra Matrimonium, & supposita voti obligatione. III. Lex humana prohibens petitionem debiti marito, qui cognovit consanguineam suæ uxoris, non stringit, sed cessat in

G g 2

tatio-

casu, quo maritus ob urgentes tentationes versatur in periculo proximo lapsus & peccati carnalis, ut tenent multi ex ratione; quia lex humana debet cedere legi Divinae aut Naturali: ergo nec votum, tanquam privata lex, à privato homine sibi posita, in talibus circumstantiis obligat, sed cessat. IV. Lex humana secundum omnes non stringit cum periculo probabili sanitatis, honoris, aut notabilis partis bonorum temporalium: ergo multò minùs ligat cum probabili (à fortiori cum moraliter certo) periculo salutis spiritualis, seu unius vel plurium peccatorum mortalium: ergo neque votum velut lex humana privata; quamvis enim votum validè editum producat obligationem Juris Divini & Naturalis, quod exigit & dicitur, fidem Deo datam esse servandam, tamen manet in se lex humana immediatè, & ortum habet ab homine; sicut lex humana à Legislatore posita manet humana, licèt, postquam validè est posita, inducat mediatè obligationem Juris Divini & Naturalis, quod dicitur, Superiori legitime præcipienti esse obediendum. V. Et hanc sententiam, quòd in specie vovens castitatem, qui in continuo versatur periculo proximo peccandi contra hanc virtutem, vel postea ob supervenientes gravissimas tentationes in illud incidit, votò non obligetur, sed ad Matrimonium licitè convolet, tenent gravissimi DD. uti Quintanadvenas *tract. 9. sing. 12.* Bonac. *to. 2. d. 4. q. 2. p. 1.*

n. 21. 26. Adam Burghaber *cent. 1. cas. 66.* & alii apud Gobat *tr. 12. n. 271.* qui n. 280. ait, permissum esse illi negare probabilitatem peccati: item Moya *in select. qq. 10. tr. 2. q. 1. §. 1.* pro ea allegat plurimè ac inter hos Ledesm. Homobonum Martin. de S. Joseph. Cajet. & ipsè S. Thomam, & §. 3. n. 20. ipse eadem valde probabilem esse existimare id quod ita intelligendum est, ut neque opus sit (nisi ad majorem securitatem) petere dispensationem in voto, licèt in praxi soleat peti dispensatio Karchne in *dissert. de sabbato dissert. 1. art. 2. §. 28. n. 215.*

Confirmatur VI. Votum matrimonium ab illo editum, quo stimulus carnis est in perpetuo periculo graviter labendi, valet, & est meliori bono, ut docent plurimi Sanchez *l. 1. de Matrim. d. 4. n. 10.* apud Moya n. 10. Cajet. Bellarm. var. Henriq. Molin. Lopez, Valent. Suar. Filiuc. Laym. & communiter Recentiores: ergo continendi emissum à continuo periculis non valet, quia non de meliori bono; cum impossibile est duo opposita simul esse de meliori bono. Quod autem tale est, ut si tempore voti emissi, reddat votum invalidum, etiam facit illud cessare si postmodum superveniat, nec perpetuè & graves tentationes carnis Moya §. 2. n. 13. & 17. Unde non obstat ratio, cui contrariam sententiam inædificat Sanchez in *Dico. lib. 4. c. 8. n. 10.* dicendo, majus bonum

in materia voti non esse judicandum, in quantum est majus respectu votantis, ut est particularis persona, sed in quantum est majus in se, & respectu boni communis; propter quod lex humana obligat etiam ad moraliter impossibile, imo & cum vitæ periculo, ut patet in milite excubias periculosissimas agere jussu contra hostem: ex quo capite redditur etiam semper illicita effusio seminis humani directè procurata, licet respectu hujus persone in individuo posset esse melior & utilior, ne abundans semen corrumpatur & noceat, quia semper est contra commune bonum seminis humani. Non, inquam, obstat hæc ratio; quia juxta ipsum Sanchez valet votum de contrahendo Matrimonio etiam à nimis vexato stimulis carnis, non obstante, quòd Coelibatus in se & respectu votantis, ut est pars Ecclesiæ, ac respectu boni communis sit majus bonum; quia tamen respectu votantis, ut est individuum particulare, non est majus, ideo valet votum Matrimonii: ergo vice versa, ubi respectu votantis, ut est particulare individuum, materia voti non est melior, & majus bonum, non valet votum, nimirum Castitatis. Nec obstat VIII. quòd votum Castitatis in nostro casu fuerit solenne, utpote annexum Ordini Sacro, quem suscepit liberè Philander; quia votum Castitatis solenne & simplex non differunt substantialiter.

IX. Si votum hoc solenne Castitatis obligaret in tam gravibus & con-

tinuis tentationum fluctibus, gravissima facile orirentur in Ecclesia DEI mala & scandala, v. g. concubinatus & apostasia à Fide, ut patet ab experientia, quæ sæpius docuit, Ecclesiasticos & Religiosos ob negatum sibi Matrimonium ad hæreticos descivisse, imitatos Andream Carlstadium, Luthero intimum, qui primus publicè ex Ecclesiasticis tempore Lutheri salutare suarum tentationum remedium arripuit Nuptias, cui propterea Wittenbergenses specialem Missam composuerunt, & in ea hanc Collectam: *Deus, qui post longam, & tam impiam Sacerdotum cecitatem, beatum Andream Carlstadium eâ gratiâ donare dignatus es, ut primus nullâ habitâ Papistici Juris ratione uxorem ducere ausus fuerit: da quesumus, ut omnes Sacerdotes recepta sana mente hujus vestigia sequentes, ejectis concubinis, aut iisdem ductis, ad legitimum consortium thori convertantur.* Adde X. textum S. Pauli Hebr. 13. *honorabile conjugium in omnibus: ergo & in Sacerdotibus honestum est.* Sanè omnis promissio habet imbibitam conditionem, nisi circumstantiæ mutantur, vel aliud modò non provisum superveniat: ergo & votum Castitatis, quod est aliqua promissio, habet imbibitam hanc conditionem, nisi valde graves tentationes, & pericula lapsuum carnis supervenerint, modò non prævisa. XI. Arguebat Philander à pari: Error vitiat contractus: ergo & Votum; cum errantis nullus sit consensus: atqui Philander votans Castitatem in susceptione S. Ordinis

fuit in errore; quia credebat statum, quem suscepit, fore idoneum ac sufficientem ad vincendas facile tentationes carnales, nunc verò experitur in se contrarium. XIII. Denique subijungebat: si hæc non satis evin-

cerent nullitatem voti, & viderentur Nuptias aperirent, saltem talia fore quæ meritò sufficiant ad facile impetrandam dispensationem Pontificiam.

DECISIO.

HAc tamen verbosa argumentorum serie neutiquam permotus est Timotheus, ut Philandri temeraria succollaret consilia, imò disertè ipsi rescripfit, frustra prorsus & irritò conatu laborare ad excutiendum Castitatis extra Matrimonium servandæ jugum, quod sibi imposuit per susceptionem Ordinis Sacri omnino voluntariam & liberam, cui annexum est Votum ex Lege Ecclesiastica; ut aded, quisquis Ordinem Sacrum voluntariè suscipit, tacitè votum Continentiæ & Coelibatûs emittat. Votum tuum, mi Philander, scribebat Timotheus, valuit initio: ligat te etiamnum: & vix, ac ne vix quidem, dispensationem impetrabis. Omnia tria facilè & breviter

Probavit Timotheus: primum quidem negativè potissimùm, quia ex nullo capite ostendi potest nullitas hujus voti, quod bene notetur, *solenis*. Accedit ratio positiva; nam per votum solenne Ordinibus Sacris annexum constituitur vovens in certo & sublimiori statu Ecclesiæ, ad DEI gloriam hominûmque salutem, & ad utilissimas toti Ecclesiæ functiones specialiter ordinato, sicut per vota Reli-

giosa: ac proinde propter bonum commune totius Ecclesiæ, quod est ejusmodi statum coelibem, seu perpetuæ Castitatis & perfectæ extra Matrimonium obligationem obtinentem, acquirit ejusmodi votum specialissimè, & insolubilitatem ex dispensatione Ecclesiæ, talem voventem omnino incapacem reddentis ad validè contrahendum Matrimonium, si vellet hujusmodi votum edatur à jure constituto in magna proclivitate ad continentiam, sive ante talem proclivitate postea sortè supervenientem, non obliget etiam non obstante moralitate possibiliter continenter vivendi extra Matrimonium. Sic habet Communis omnium Catholicorum, & Legum firmanium à paritate tum Legum præceptorum Humanorum, quæ specialiter respiciunt bonum commune, ne, obligant etiam ad moraliter impossibilia & cum manifesto vitæ periculo, v. g. ad agendas excubias in cohostibus exposito, ad inservandum pestiferis &c. tum Legum Naturalium, v. g. legis prohibentis procreari directè effusionem seminis humani ad generationem & propagationem adeoque ad bonum commune pro-

neris humani ordinati, non obstante, quod homo particularis ex retento semine incidat in periculum gravis morbi aut mortis etiam; tum Legum contractus Matrimonialis, qui obligat ad abstinendum ab omni alia foemina, non obstante, quod uxor propria contraher sit agra, vel absens, & quod gravissimas carnis tentationes patiatur maritus. Ratio ulterior est, quia, si propter ejusmodi circumstantias & precorvitatem nimiam in Venerem, qua vel adest tempore solennis voti Castitatis emissi, vel supervenit post temporis intervallum, non obligaret votum solenne, aut obligare desineret, gravissima orientur scandala, & damna Reipublicae Ecclesiasticae, bonique Communis, ad quae cavenda sicut Natura obligat in Legibus Naturalibus etiam cum gravissimo incommodo, vel morali impossibilitate ex parte hominis privati, ita etiam Leges Humanæ, secundum quas regulatur quoque votum, præsertim solenne, pari modo obligant (quia concurrunt Jus Naturale) cum bonum privati ex lumine Naturali cedere debeat & postponendum sit bono Communi. Qualis enim perturbatio fieret in Republica, si propter graves tentationes carnis, & morale periculum agendi contra votum solenne Castitatis, liceret Religiosis, aut Sacerdotibus, convolare ad Matrimonium, aut si conjugibus liceret jungi aliis personis, si compars sit absens, vel ad usum Matrimonii inepta &c. Ad quam perturbationem evitandam Naturales ac Humanæ Le-

ges debent manere in suo vigore & virtute obligandi.

Alterum membrum probavit Timotheus ex iisdem principiis, *negativo* nimirum; quia non est ratio sufficiens assignabilis, cur debeat cessare obligatio voti solennis propter supervenientes magnos & perpetuos carnis stimulos, ut patebit ex solutione argumentorum Philandri: & *positivo*; quia cessationem obligationis propter hanc causam non permittit ratio boni publici, pericula & damna manifestè redundatura in Rempublicam, maxime Ecclesiasticam &c. ut patet ex instantiis de effusione seminis humani, de necessitate agendi excubias in loco hostibus exposito, & de conjugum obligatione abstinendi à personis alienis etiam cum morali impossibilitate continentiae conjugalis &c.

Tertium membrum pariter fulcivit partim ex deficientia justæ causæ dispensandi in re tam gravi, & à qua dependet bonum publicum Reipublicae Ecclesiasticae, partim ex usu & observantia Ecclesiæ, nunquam vel ferè nunquam dispensantis cum Sacerdote ad Conjugium; quamvis enim Pontifex quandoque ob graves causas legatur dispensasse cum Subdiaconis & Diaconis, cum Sacerdotibus tamen, nisi fuerint de Principum sanguine, & multum interfuerit Ecclesiæ eos jungi Matrimonio ad propagandum stemma, aut ob aliam gravissimam necessitatem bonum Commune spectantem, non facile occurreret exemplum datæ dispensationis, imò nullum propter solam

folam proclivitas ad vitia carnis causam: partim denique quia ex hujusmodi dispensationibus facile ex prætenſa causa difficultatis inſervanda continentia propter ſtimulos carnis & proclivitatem in Venerem concessis plurima & maxima in Rempublicam Christianam damna, pericula, & scandala ſequerentur; paſſim enim à laxioris vitæ Sacerdotibus & Religioſis, qui remedia ſpiritualia adhibere nolunt,

pererentur diſpenſationes prætenſi-
rali impoſſibilitate continendi: in
pacto ſanctum laxaretur impoſitum
& ſtatus Eccleſiaſticus, de quo
facilis foret tranſitus ad Sæculari
Matrimoniale, graviffimum patens
præjudicium; imò nec Matrimo-
vinculum, ex mutuo illud continen-
tium conſenſu tam arctè colligatum
à diſſolutione maneret ſecurum con-
manifeſtam Chriſti prohibentem.

Solvuntur Oppoſita.

AD ratiunculas Philandri reſpondit
Timotheus primò generaliter
dupliciter, nempe eas ſuo modo & non
omnino improbabiler procedere poſſe
in votis aliis, quæ non ſunt Caſtita-
tis perpetuæ, imò etiam in his, ſi tantum
ſint ſimplicia, non ſolemnia per ſufce-
ptionem Ordinis Sacri, maximè Sacer-
dotalis, aut per Profeſſionem Religio-
ſam: ſi autem Philander velit etiam il-
las extendere ad vota Caſtita-
tis ſolemnia, repoſuit Timotheus, illas prorsus
ſimiles eſſe argumentis, quibus Lu-
therus, & Auguſtana Confefſionis
fabri, impugnârunt Cœlibatum Sacer-
dotum, & vota Religioſorum, ac Mo-
nialium, iis perſuadendo ſacrilega Ma-
trimonia, & apoſtaſiam à Religione,
Statu, & Fide: quæ pridem ab uni-
verſali Eccleſia, & omnibus bonis Ca-
tholicis exploſa, pro irrelevantibus ha-
bita, & damnata ſunt. Trid. ſeſſ. 24.
can. 9. ſic detonat: *Siquis dixerit, Cle-
ricos in Sacris Ordinibus conſtitutos, vel
Regulares, caſtita-tem ſolem-
niter profeſ-*

*ſos, poſſe Matrimonium contrahere
contractumque validum: ſi, non ob-
ſtante lege Eccleſiaſtica, vel voto - -
que omnes contrahere Matrimonia
qui non ſentiant ſe Caſtita-tem, etiam
voverint, habere donum; anathema
erit cum DEUS id rectè petentibus non
neget, nec patiatnr nos ſupra id
poſſimus, tentari.* Perpende hanc
ſententiam, iterumque penſita, mi Philander
(ſubjunctum Timotheus) quibus
ſententia & OEcumenica Synodus
doctrinam Lutheranorum, Sacer-
dotibus & Religioſis, qui dicebant ſe
continenter vivere non poſſe, ſacrilega
contrahendi Matrimonia irridenda
tium, ac proinde ratiunculas quibus
quibus in Confefſione Auguſtana
de Conjugio Sacerdotum, & de
Votis Monachorum inter Articulos
Abuſibus, perverſam ſuam doctrinam
fulcire adnitebantur, nunquam
nullibi magis diſerti ac proſici,
ubi de uxoribus habendis agebatur,
ſacrilegi Sacerdotes & Monachi,

fectionis Augustanae architecti, quos tu prolixitate & studio hac in re strenue imitatus es. Dein monuit Philanderum, ut remedia spiritualia, maxime Orationem ardentem & constantem, quam suadet Tridentinum, & certo suffecturam ad vincendas tentationes declaravit, adhibeat, addendo studium mortificationis, custodiam seclorum, & fugam omnis pravæ occasionis, item frequentiore meditationem mortis, inferni, æternitatis, damnatorum peccati mortalis &c. Deinde

Ad singulas ratiunculas in specie defendenda. Ad I. Distinguendo *Min.* votum Castitatis in tanta proclivitate ad vitium carnis est de re moraliter impossibili, si non adhibeantur remedia spiritualia, & alia ad vincendas tentationes conducentia, quæ paulò antè insinuada sunt. C. si adhibeantur. *N. Min.* vel negatur. *Ma.* saltem respectu illius, qui emisit votum solenne Castitatis, quod propter bonum commune obligat etiam cum morali impossibilitate, uti vidimus. Ad II. Patet distinguo *Min.* non est de re meliori conditonatè, si nempe nolit Philander adhibere dicta remedia contra tentationes Venereas. *transeat.* si adhibeat. *N. Min.* vel aliter; non est de re meliori respectu Philandri, propter est persona particularis, *transeat;* in tantum enim Matrimonium respectu ipsius videtur melius, quàm Cœlibatus, seu vita cœlebs & absque conjugio: prout est in certo statu Ecclesie constitutus, & membrum certi status. (R. P. Picbler Decisiones.)

rûs specialiter ad bonum commune totius Ecclesie ordinati. *N. Min.* cum Philander, ut est positus in certo statu, ex quo inviolabiliter observato plurimum pendet bonum commune, & ornamentum, ac utilitas Ecclesie, teneatur præhabere bonum commune Ecclesie suo privato, sub hac ratione melior est ipsi Cœlibatus quàm Matrimonium: quidquid sit de casu, quo quis solum simplex Castitatis votum emisit. Ad III. *Transeat antec.* quod multi negant sub allegata duplici distinctione, & seclusa dispensatione obtenta ad petendum debitum conjugale. *N. Conf.* saltem si est sermo, uti hic, de voto solenni; nam talis ob bonum commune, & ortum indè Jus Naturale, tenetur adhibere alia media ad vitandas vel superandas tentationes, quibus adhibitis continentia reddetur ipsi moraliter possibilis, imò successu temporis etiam facilis & suavis, ut experiuntur timorati & dictis mediis utentes, quibus jucundius est castè vivere, quàm Veneri operam dare. Dein Votum solenne Castitatis ob bonum commune etiam stante morali impossibilitate obligat ad Cœlibatum & continentiam, uti dictum & probatum est. Ad IV. Est similis responsio; negatur enim *Conseq.* saltem ubi votum solenne Castitatis est emissum. Ad V. Imprimis nullus Auctorum id asserit de voto solenni Castitatis, de quo tamen est præsens Casus. Dein loquendo de voto simplici, opponitur longè major auctoritas contrarium longè communius docentium etiam de

H h h

de

de voto simplici Castitatis teste Kar-
 chne *lo. cit. n. 216.* cum Sanch. *lib.*
4. in Decal. c. 8. n. 10. & Moya *n. 20.*
cit. Imò Castro Palao *to. 3. tract. 15.*
disp. 1. pu. 8. n. 14. contrariam senten-
 tiam supponit velut indubitam apud
 DD. quamvis id verum non sit. Af-
 ferunt hi duplicem rationem; I. Quia
 valde proclivi in venerem Matrimo-
 nium non est melius absolute, sed
 solum sub conditione, & suppositio-
 ne, quòd aliis mediis orationis, pœ-
 nitentiæ &c. nolit uti: ergo si pro-
 clivis in Venerem & suam fragilita-
 tem agnoscens vovet Castitatem, va-
 lidè se obligat ad non contrahendum
 Matrimonium, & quia sine aliis me-
 diis castè vivere non potest, conse-
 quenter se obligat ad alia media ad-
 hibenda. II. Quia depravata cupiditas
 facile plurimos falleret, falsò existi-
 mantes se continere non posse, atque
 ita plurima merita, & egregia opera,
 Ecclesiæque utilissima impedirentur.
 Demum licèt transmittatur tanquam
 verè & practicè probabile, quòd vo-
 tum simplex Castitatis à valde procli-
 vi in Venerem non valeat, valet tamen
 juxta omnes, & propter argumenta
 superiùs allata, votum solenne Casti-
 tatis, & obligat sicut ad hanc servan-
 dam, ita & ad media spiritualia, aliã-
 que, sine quibus Castitatem servare
 noscitur esse impossibile, adhibenda.

Ad VI. Transmissò *Antec.* quod prob-
 abilius esse judicatur, negatur *Con-*
seq. loquendo de voto solenni Casti-
 tatis, quia hoc est de meliori bono
 respectu voventis, quatenus per illud

fit, & est membrum status Ecclesi-
 stici, specialiter & plurimum facien-
 tis ad commune bonum Ecclesiæ. Si
 autem loquamur de voto simplici Ca-
 stitatis, potest juxta probabilem (in
 quam & ego alibi inclino) concessi-
 torum; juxta alteram verò senten-
 tiam, quæ docet, etiam votum sim-
 plex Castitatis valere editum à valde
 propenso in peccata carnis, distin-
 guendum est *Antec.* Votum inter
 Matrimonium, editum à valde pro-
 penso in Venerem, valet absolute
 quando & simpliciter, negatur; quæ
 talis potest adhibere alia remedia
 sufficientia ad vivendum in Cœlesti
 qui est status melior & perfectior
 posito, seu statu Matrimoniali: va-
 sub conditione & suppositione, qui
 vovens Matrimonium nolit adhibere
 alia media ad castè vivendum
 Matrimonium, conceditur; non est
 talis, qui vovet Matrimonium, per
 hanc sententiam tenetur absolute ad-
 bere alia media ad castè vivendum
 ducentia, sed potest Matrimonium
 adhibere; & hinc votum de Matrimo-
 ineundo ex hypothesi, quòd vovens
 aliis mediis uti nolit, valebit. Unde

Ad VII. Adhibemr iterum distin-
 ctio inter votum solenne Castitatis
 & simplex (in illo consideratur
 bonum non relatè ad ipsum voventem,
 ut est persona particularis, sed
 ut est effectus membrum status Ec-
 clesiastici specialiter ordinati ad Ec-
 clesiæ bonum commune: in voto
 autem simplici magis attenditur
 bonum relatè ad voventem, ut est per-

sona particularis) & adhibenda est altera distinctio inter duas sententias, quarum una pro invalido habet votum Castitatis à valde proclivi in Venerem; & ista concedit totum: altera verò habet pro valido; & hæc dicit, Cœlibatium adhuc esse majus bonum respectu votantis, quàm Matrimonium, absolute loquendo, licet non sit facta suppositione & hypothese, quod votans nolit adhibere alia media ad casum vivendum necessaria: unde, licet votum non nubendi sit validum à valde pro in Venerem sub dicta conditione & suppositione, indè tamen non sequitur, quòd votum simplex Castitatis à tali emissum sit invalidum. Quòdquid sit, an ratio Sancheziana valorem probet, vel non, saltem probat, votum solenne validum esse, & votentem reddere inhabilem ad Matrimonium. Karchne n. 220. V. quare præfata, ex quo patet ad VIII. Quamvis enim votum solenne & simplex Castitatis non differant substantialiter; differunt tamen in effectu & virtute obligandi; cum votum solenne efficiat membrum perpetui statûs, Religiosi aut Clericalis, specialiter ordinati ad bonum commune Ecclesiæ: votanti autem quàm membro talis statûs melior est Cœlibatus quàm Matrimonium, & ideo strictius obligatur suo voto Castitatis.

Ad IX. Ejusmodi perversorum & impiorum exempla, ab Ecclesia & omnibus probis constanter damnata, sicut non possunt vel debent Leges Divinas vel Humanas infringere ita

nec obligationem votorum tollere; neque scandala malitiosè accepta, & per accidens secuta possunt vel debent præjudicare bono communi Ecclesiæ, quod exigit vota, præsertim solennia, inviolabiliter observari. Ad X. Honorabile quidem & Honestum est Matrimonium in omnibus, qui non laborant impedimento, vel à Natura aut Ecclesia, vel ab ipsis hominibus sibi positò (cujusmodi est votum solenne liberè editum.) non verò in ligatis impedimentò; aliàs dicere oporteret, Matrimonium etiam esse honorabile in impotentibus, vel proximè consanguineis. Ad XI. Retorquetur imprimis argumentum in Conjugibus, qui sibi mutuo fidem promittunt se obligandò ad abstinendum à commercio carnali cum alienis personis: an igitur dicemus licere conjugi, si contingat compartem diu ægrotare, vel esse absentem &c. propter tentationes & hujusmodi circumstantias, initiò Matrimonii non prævisas, accedere ad personas extraneas? absit. Nulla promissio, aut votum, habet imbibitam sibi conditionem bono communi repugnantem, qualis foret conditio solenni Castitatis voto imbibita, nisi graves tentationes, quæ tempore voti non fuerunt prævisæ, supervenerint. Adde quod suscipiens Ordinem sacrum satis habuerit cognitam carnis humanæ fragilitatem, utpote 22. ætatis annum jam ingressus, & sic prævidere potuerit, & prævidisse censendus sit, posse graves carnis tentationes oriri: ergo cen-

H h h 2

sensus

sendus est voluisse se obligare iis non obstantibus ad servandam Castitatem, & adhibenda alia, quàm Matrimonium, remedia, maximè instantis & ardentis orationis, per quam certò impetrabit gratias, & auxilia supernaturalia à Deo, qui tahtopere delectatur Castitate, ac tam enixè eam consulit, nec patitur quemquam tentari supra id, quod potest per vires suas supernaturalibus auxiliis, quæ non denegat facienti, quod est in se, roboratas. Ad XII. Retorquetur iterum in Matrimonio carnali, & sic infertur: ergo error, quo quis falsò credidit, uxorem suam esse divitem, vel Matrimoniale statum esse talem, qui solus sufficiat ad evitandas vel facilè superandas tentationes carnis erga personas alienas, vitiat contractum Matrimoniale, & dat licentiam sibi jungendi personam alienam &c. Dein non erravit Philander errore substantiali, quia scivit votum solenne Castitatis esse annexum Ordini Sacro liberrimè suscepto, seque per illud reddi inhabilem ad Matrimonium: imò nec laboravit errore accidentali circa graves tentationes

suo tempore verisimiliter occurrerunt, neque circa sufficientiam status Sacerdotalis ad vincendas ejusmodi tentationes; sufficit enim omnino, si velit facere, quod est in se, & adhibere media conducentia vel necessaria quæ ipsi nunquam desunt. Ceterum plurimi Sacerdotes & olim & hodie potuisse & posse continenter vivere suò exemplò attestati sunt, & confirmant, qui nimirum diligenter custodiunt sensus externos, fugiunt graves occasiones, sibi non nimis sollicitè corpus moderatè castigant, orationibus instant, mortem, infernum, eternitatem, & gravissima peccati merceda sæpius meditantur, & in oculos ponunt &c. Ad XIII. Quævis sufficere possent ad dispensationem in voto simplici Castitatis (si illud valeat, emissum à valde proclivi ad id nerem; aut si non valeat, illud pro majori securitate vel ad vitandum scandalum) facilè impetrari non tamen ad dispensationem in voto solenni Castitatis ob rationes membro tertio hujus decisio- nis superius.

QUÆSTIO II.

An liceat Catholicis frequentare Universitates Heterodoxarum, præsertim ad Jurisprudentiam addiscendam?

Respondebit ad hanc Quæstionem velut explosione digniorem quàm examine Causidicæ Philandri, & dicet I. Omne commercium & communicatio cum Hæreticis in Germa-

nia, utpote non solum in foro civili toleratis & civitate donatis, sed etiam in foro Canonico licet licet enim Hæretici sint notorii,

sunt in Germania, non tamen sunt nominatim denunciati, & sic non sunt excommunicati vitandi juxta communem intellectum Bullæ *Ad evitanda* Martini V. ergo etiam licitum est cum his communicare in studio litterarum ac in Universitatibus.

II. Communiter Doctores admittunt receptionem Hæreticorum ad scholas, & Academias Catholicorum. *Axon. p. 1. lib. 8. c. 11. q. 8.* ac alii: quid ergo prohibeat accessum Catholicorum ad scholas & Academias hæreticorum? Præsertim

III. Ad Jurisprudentiam, specia-liter ad Jus Publicum addiscendum; quia in his eminenti Professores Heterodoxi præ Catholicis; & hæc studia non de rebus fidei tractant, sed de politicis ac forensicis, quæ eo collimant, ut Juvenes, qui ad statum Ecclesiasticum non aspirant, sed in sæculo manere cogitant, inè instituantur ad causas in Judiciis bene tractandas, & ad salutaria in Curias Civitatum & Aulis Principum consilia suggerenda. Nec obest, quod in quibusdam Jus Canonicum concernentibus differat Jurisprudentia Hæreticorum Germaniæ à Catholicorum doctrina; quia exinde plus non sequitur, quàm quod vitæ Clericalis Candidati melius in Academicis Catholicis vel Religiosorum Gymnasiis ac domi hæreant, non autem ceteri. Quod verò subinde aliquis error circa Fidei mysteria inspergatur à Doctoribus Hæreticis, æquè parum obstat, atque lectio librorum Juridicorum ab Hæreticis editorum,

qui passim impunè non tantùm, sed etiam absque scrupulo teruntur manibus Catholicorum. Quare firmatur argumentum hoc modo

IV. Licitum est in Germania legere libros politicos, historicos, medicos, imò & Juridicos, ut docet Layman in *Theol. Mor. l. 2. tr. 1. c. 15. n. 4.* & alii multi post ipsum Scriptores Germani, atque quotidiana ac tolerata praxis, etiam timoratorum, licèt hinc indè contineant hæreses obiter insperfas: ergo etiam licitum est audire Doctores Jurisprudentiam explanantes, licèt hæresim hinc indè inspergentes: nec enim magis periculosum est audire quàm legere errores aliquos circa fidem obiter propinatos. Unde.

V. Si non liceret frequentare apud Hæreticos Jurisprudentiam vel alias scholas Superiores, tunc id vel Jure Positivo humano esset prohibitum, cujusmodi tamen prohibitio non exstat, aut si aliquando extitisset, rursus per usum contrarium esset abrogata: vel Jure Naturali ob periculum perversionis: Sed periculum perversionis vel nullum ordinariè datur, quia qui eò ætatis jam pervenerunt, ut ad Jura tum Communia, tum Publica addiscenda apti sint, satis etiam in rebus Fidei censentur informati & confirmati, utque hæreses à veritatibus Catholicis probè discernere. Dein etsi aliquale foret periculum, abunde fieret compensatio ex præstantia Doctorum, quorum aliqui ex Hæreticis, præsertim in studio Juris Publici, adèd excellenti & celebres sunt, ut magno ære

licentiam eos audiendi emant Magnatum filii, sicut vir fide dignus mihi retulit de Vitriario, Juris Publici Professore Leydæ in Hollandia, quod pro una Lectione ei solvatur integer aureus. Nam VI. Patet ab experientia, quod primi de Nobilitate Catholica viri, summæque auctoritate tam in Aulis quàm

in Tribunalibus pollentes, ad Academiis A Catholicas filios suos dimittere utique experientiâ docti, illos longè meliùs perpoliri aptiores reddi ad Rempublicam administrandam. Sed tales ac tantos viros perguere propterea peccati si non invidiosum, saltem temerarium est.

Rationes Decidendi.

AT verò, si liceat eloqui, quod dudum in animo sensi, & plerique DD. Catholici, quos consului, omnes tradunt, uti Petr. Ledesma, Martinus Navarrus l. 1. *Consilior. conf. 1. de Constit. g. 27.* Thomas Sanchez l. 2. *Moral. c. 3. n. 11.* Anacletus Reiffenstuel ad tit. *de Hæreticis. n. 24.* P. Josephus Seybold in Erudito tractatu *de Prudentia & Jurisprudentia parte 2. fundamento 3. §. 2. in fine.* à cujus editione necdum integer effluxit annus, & alii, qui hanc materiam tangunt, assero, per se illicitum esse, ac parentes, nisi per accidens fortè excusentur, graviter peccare, si filios suos ad Academiis Hæreticorum, ut inibi Jurisprudentiæ &c. studeant, ablegare præsumunt, ex duplici potissimum causa, quarum prima sumitur ex perversa, quam imbibere pronissimum est, ac venenata doctrina, altera verò ex morum, quos gravibus contaminari peccatis vix non necesse est, corruptione: ex quo proin duplici fonte, à quo varia derivantur vel sponte fluunt argumenta pro mea assertione, ruinam spiritualem sca-

turire, ac aeternæ salutis grave periculum incautæ juventuti immittendum consecuturum existimo, & sic

Ostendo I. Hæretici Jurisprudentium Magistri non propinant sanam doctrinam, sed hæresis veneno intoxicant principia circa Fidem falsâ ac erroneam summæque periculosa inspergunt, ut circa Ecclesiam Catholicam, quæ licet sit teste Apostolo *Columna veritatis*, criminantur ut errori obnoxiam, eamque meretricem Babyloniam vocitant: circa Pontificem, Cælesti Vicarium, quem oderunt ut pejus & angue, ac *Antichristum* *Q. dentalem* appellitant, ut Daniel Koberger ille Jurisconsultus *Histor. Jur. Reg. Jur. Can.* insignis Censor & mendax Historicus sacrosancta sacramenta, quorum pleraque eliminant & explodunt: circa Sacrificium Messæ, quam pro idololatria habent: circa præcepta Decalogi, quæ observari non posse blasphemant: circa legem Ecclesiæ, quibus in conscientia obsequendi vim adimunt, & contemnantur circa Cælibatum Sacerdotum, quibus non obstante votò Castitatis ipsorum

Matrimonium Jure Divino licitum esse mentiuntur, vel etiam præceptum allegatò tam falsò quàm impie & imperiè textu S. Pauli, *Episcopus sit unus uxoris vir*, ut facit Schneidervin, cæteris aliàs modestior, & hoc petulantior Harpprechtus ad §. *Supplic. inf. de patr. pot. n. 79.* ubi in hoc exclamat, *ò stupendam absurdam sarragenem!* ut nempe lavent impium, turpissimùmque suum parentem, & (si Superis placet) Reformatorem, Martinum Lutherum, qui duplici nefando Sacrilegio Monialem sibi Matrimonio jungere attentavit, de cujusmodi tamen Legislator Civilis l. c. de Episc. & Cler. sic statuit: *si quis, non dicam, rapere, sed attentare tantum jungendi causâ Matrimonii, sacratissimas Virgines ausus fuerit, capitale poena feriatur*: Rursus circa SS. Canonum decreta, quæ, uti Carpovivus in *Methodo de studio Juris*, vocant *superstitiosa & impia*: circa Bona Opera, quæ vilipendunt, licet non adeò crasse, ut remulentus ipsorum Magister, qui nescio quo percitus cæstro hæc verba effutit: *caveamus à peccatis, sed multò magis à legibus, & operibus bonis, tantùm attendamus ad Dei promissionem & fidem.* Lutherus in *serm. de nov. Testam.* circa Ritus & Cereemonias Ecclesiasticas, quas tradunt & rident: circa cultum B. Virginis Mariæ & Sanctorum, quem damnant velut superstitiosum: circa Scripturam Sacram, quam quidem unice jactant, sed per impium abusum ad suos errores tuendos pro suo quis-

que spiritu privato perversè interpretantur: circa Immunitatem Ecclesiasticam, quam penitus evertunt, Jurisdictionem Sacram Politicæ, & venerandos Dei Ministros Laicis Magistratibus impiè subjiciendo, quæ in re aliquos etiam Catholicos, licet solummodo libros legant, non verò Magistros audiant Herreticos (quod dolendum) in transversum egerunt, ita ut saltem hinc indè involent in jura DEI, & immunitatem Ecclesiasticam sacrilegè violent, vel saltem violare attentent: & circa alia multa, quæ contra Fidem & Religionem veram docent ac instillare nituntur, maxime in tradendo Jure Publico, quod tractat de Religione, & magnam partem innititur Historiis, quas depravant, & nunquam puras referunt, & quidem, quod pessimum est, talia proponunt per risum & contemptum & vilipensionem ac depressionem auctoritatis Pontificiæ, & Cleri Catholici, Catholicorum dogmatum, & rituum. Ut adeò in Germania nostra non majus præjudicium patiatur stragemque majorem accipiat Ecclesia vera & Jurisprudencia genuina, quàm ab A catholicis Jurisconsultis. Quid ergo fiet privatis, & Juventuti Catholicæ, quæ tales accedit & audit Magistros? Quis igitur tales, vel parentes eorum, excuset, qui adeò temerè se se ipsos vel alios in tam manifestum periculum hauriendi intoxicatam doctrinam coniiciunt, ut unà cum Juris vel alterius Scientiæ aphorismis venenum simul devorare vix non necesse habeant, ex quo per-

erant.

eant, vel saltem in præsens pereundi discrimen inducantur?

Ostendo II. Jurisprudencia, quam tradunt Hæretici, est manca & dimidiata tantum, ita ut, nisi aliunde suppleatur, Catholico in Tribunalibus vel Dicasteriis nequeat sufficere, quin sapius graviter hallucinari & impingere debeat: ergo illicitum est talibus uti Magistris in addiscenda Jurisprudencia. *Antec.* elucescit inde, quod vera ac genuina Jurisprudencia, prout à Legislatoribus constituta, & ab antiquis, & Classicis Auctoribus Christianis, qui Primpili ac Patres hujus disciplinæ habentur, comprehendit geminam partem, nempe Jura Civilia, & Canonica: Leges & Canones: Jus rerum profanarum & personarum Sæcularium, à Jurisdictione Laica; & Jus rerum sacrarum & personarum Ecclesiasticarum à Jurisdictione Ecclesiastica proveniens ac dependens, eamque inter se connexionem involvens, ut unum absque altero velut mancum & imperfectum adjuvari debeat, sic fatente non solum Legislatore Ecclesiastico in c. 1. *de Nov. Op. Nunt.* sed etiam Civili, & Imperatore ipso; sic enim in l. 45. *C. de Episc. & Cleric.* pronuntiat: *Sacros autem Canones non minus, quam Leges, valere etiam nostræ volunt Leges.* Et in *Nov. 38. c. 2. Secundum Sacras & Divinas Leges, quas etiam nostræ non dedignantur sequi leges.* Item in *Nov. 131. c. 1. & 2. ibi: Sancimus igitur, vicem Legum obtinere Sanctas Ecclesiasticas Regulas, idèoque secundum earum defi-*

nitiones Sanctissimum Senioris Romæ Papam primum esse omnium Sacerdotum &c. Atqui Germaniæ Hæretici tradunt solum unam Jurisprudencie partem quia alteram, quæ ex SS. Canonibus petenda est, præsertim ubi hæresis nova adversantur, non solum negunt, sed etiam contemnant & eliminantur velut Jus Antichristi; Jurisdictionem Ecclesiasticam vero modò deprimere, sed etiam extirpare, & penitus extirpare laborant Jus Sacrum sicut nullum habere aut reverentur, vel pro suo fragmenta quædam ex illo accipiunt ita & nullum, saltem genuinum, Auditores Jus Sacrum docent, tamen notitia ad salutem, & ad utilitatem inter Christianos illas carentiâ administrandam, omnino necessaria est, imò & Jus Civile, in quibus & erroribus suis repugnant, pro arbitrio temerè mutent. Sanè si leges Civiles, prout ab Imperatoribus latæ sunt, mutarentur, suspicere deberent Romani Pontifices, ut Christi Vicarios, ceterorum verorum Fidelium veros Pastores, Patres, atque ut Legislatores legitime consequenter & Leges ipsorum haberent venerari ut Evangelium Concilia, agnoscere Sacrificium, laudare vitam Monasticam & non psallendi, videre turpitudinem reformatoris Martini Lutheri, qui attentatum cum Moniali conjugio capitalis supplicii reum se fecerat. Ubique non Sectam suam Jurisdictionem suo Schismati accommodant.

in pejus detorquere fatagunt, identidem exclamantes: *aliter in usu est apud Protestantés* &c. An ergo hoc est docere Jura, prout sunt, integra ac invariata, & non potiùs manca, & dimidata? Unde experientia hucusque docuit, paucos ex Academiis A Catholicis rediisse ceteris doctiores, meliores autem nullos, multos vero mancã solum Jurisprudentiã tinctos ob defectum Juris Canonici, quod minimè Principum jura immutavit, ut aliqui calumniantur.

Ostendo III Ex morum corruptione, in cujus periculum conjiciuntur tales Universitatum A Catholicarum alumnus; siquidem imprimis observatio preceptorum Ecclesiæ ipsis reddita perquam difficilis, vel ferè impossibilis, scilicet auditio Missæ in Festis & Dominicis diebus, atque absentia à carnibus diebus prohibitis, & quidem nulla necessitate cogente, vel gravi incommodo, quod aliis ipsis immineret: quo casu Theologi communiter commorationem inter Hæreticos pro illicita habent cum Nav. Bonac. Suar. Laym. Gobaz, & La-Croix l. 2. n. 102. Dein impossibilis ipsis redditur auditio Verbi Dei per longissimum tempus, ex cuius omissione torporem in vita Christiana nasci perquam noxium, & vitia pullulare vix evitabile est: si vero accedant conciones Prædicantium Hæreticorum, majus adhuc periculum etiam in rebus fidei subeunt. Præterea Sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ usum vix unquam ha-

bere possunt, & ne quidem in articulo mortis, si fortè in eum contingat incidere, quibus tamen summopere indigent Juvenes in periculosissima ætate: nec desunt tristia exempla, ut etiam hujusmodi Juvenes in heterodoxorum Universitatibus mortem optetierint *sine lux & crux*, ut ajunt, & cum exigua spe salutis. Accedit, quòd diuturna ac ferè perpetua conversatio cum Hæreticis, quos Apostolus tam sollicitè devitari admonet vel potiùs præcipit, si commodè devitari possint, vix non necessariò affricet inexpertæ & incautæ juventuti scabiem variorum vitiorum, imò & errorum, vel vilipensionis Catholicorum dogmatum, rituum Ecclesiæ, Ecclesiasticæque auctoritatis, dum identidem audiunt subfannationem & irrisiones Ceremoniarum Ecclesiæ, quorundam Catholicæ Religionis dogmatum, Pontificum, Sacerdotum, Religiosorum &c. imò & turpiloquia perpetua, quibus accedunt sceminarum illicia & procacitas, quarum indulgere amoribus etiam illicitis ferè pro nihilo reputatur apud Hæreticos vel etiam pro eutrapelia &c. quibus nihil est magis noxium Juvenibus. Verbò, rara est avis & albo simillima corvo Juvenis in Universitate heterodoxa innocens, vel integræ vitæ. Cujusmodi vitia per totam postea vitam vix ac ne vix quidem emendantur, sed perseverant mali habitus, ac pertinaciter animo hærent imbibita semel perversa principia, ut adedò tales difficulter (ordinariè) in bonos Catholicos evadant,

dant, utut exterius appareant expoliti, aut sint politici. Quis ergo à peccato excuset in tanta se, vel alios, pe-

ricula tam temere conjicientes tum bonorum morum tum salutaris

Respondetur ad Rationes dubitandi.

AD I. Licet Hæretici in Germania sint tolerati, & commercium cum iis Jure Positivo Humano non sit prohibitum; imò nec Jure Naturali & Divino, si commodè evitari nequeat, & periculum perversionis absit: Juvenibus tamen, qui sine necessitate in Universitates A catholicas se conferunt, & conversandi cum Hæreticis necessitatem sibi imponunt, id non facile licebit per Jus Naturale & Divinum ob morale periculum hauriendi venenum in Fidei doctrina, Jurisprudentiæ integritate, & morum innocentia. Siquos contingat non infici vel damnum non pati, per accidens est.

Ad II. Negatur *Consequentia* & paritas; nam tale ac tam vicinum perversionis periculum non est, si Hæretici ad Catholicas, quàm si Catholici ad Hæreticas Universitates & Scholas accedant.

Ad III. Qualem Jurisprudentiam, & quo Catholicorum Juvenum periculo, Jus Publicum doceant Hæretici, patet ex dictis. Catholici DD. tradunt Jurisprudentiam integram, & Jus Publicum longè purius & absque tanto periculo. Nec desunt in Universitatibus Catholicis Professores prorsus egregii. Et demus, quòd in Heterodoxis unus vel alter emineat magis, saltem in Jure Publico (re ipsa

enim plerumque verum non est, & Jura Communia & Publica in non sunt pura, sincera, & integræ ceter major sit jactantia & verborum plausus) an propterea licitum erit ad re fontes toxicò perverſæ doctrinæ pravorum morum infectos? quæ non solum Clerici imbiberent, si non derent, sed etiam ad ſecularem vitam aspirantes. Lectio librorum Hæreticorum ab Hæreticis editorum, quorum aliquos ego quoque non contemnendos cenſeo, ac ſæpius alios quamvis Juvenibus non ſit ſuadet (utpote inexpertis adhuc, & Polemicarum, imò & Jurium, præ à Catholicis DD. ut oportet, tractanda, tam grave tamen & tam periculum non habet, ſicut vox ſæpe ſannis & ſibilis contra doctrinam Catholicam ac Authoritatem Pontificiam &c. conjuncta apud illos, primùm addiſcunt Jurisprudentiam, & prava exempla, atque occaſiones plurimorum vitiorum exortio cum Hæreticis facillimè contrahuntur.

Ad IV. Patet ex immediate dictis. Ad V. dico, Jure Naturali ac Divino eſſe prohibitum propter periculum manifestum imbibendi venenatam doctrinam, ac in varia peccata probandi, quale apud Juvenes mortaliter

dari satis ostensum est: quod non tollitur, esse Professores Heterodoxi præfarent Catholicis, quod tamen plerumque verum non est, imò certò falsum ex eo, quia illi tradunt Jurisprudentiam mancã, & multis falsitatibus vitiatam: an igitur tanto ære hanc & simul ruinam spiritualem emere sit operæ pretium? Ad VI. non debet attendi, quid fiat: sed quid fieri debeat ac li-

ceat. Illos tantæ authoritatis viros, siqui sunt, omni veneratione suspicio, & malo credere, eos per accidens excusari (de quo ipsi viderint) quàm arguere vel judicare. Sufficit mihi mentem meam exposuisse, quid in thesi & per se verum esse in hac quæstione sentiam, abstrahendo à circumstantiis particularibus.

TITULUS IV.

De Clericis non Residentibus in Ecclesia vel Præbenda.

DECISIO LXXVII.

De Canonico Collegiatæ Ecclesiæ ob visitationem Diocesis non Residente.

SPECIES FACTI.

Ab eodem Timotheo, ad quem Philander consilii causâ in priori casu recurrit, haud multò antè consultum petiit Philibertus, Collegiatæ Ecclesiæ in Civitate Episcopali Canonicus, & Generalis Dioceseos Visitator constitutus ab Episcopo, cui ex merito suo in amoribus & pretio est maximo, datis ad eundem his litteris: Multum venerande Timothee. Postquam Canonicatus mei ad instantiam Celsissimi possessionem cepi inter Ca-

pitulares receptus, idem Celsissimus & Gratiissimus Dominus, ac Episcopus meus, grave Visitatoris munus per totam diocesim mihi imposuit. Parui, ut decuit, clementissimis iussis, humeros meos, ut ut debiles, huic oneri supponens. Cùm verò Diocesis nostra sit admodum ampla, impossibile mihi est intra tres menses interpolatos, prout officium Visitatoris exigit, per quos ex indulgentia Concilii Tridentini omnibus & singulis